Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

turbe ad egeam. Et sedente eo pro tribunali. acclamantes dixerunt.
Que ista tua sententia proconsul. Male iudicasti crudelem enim
dedisti sententiam. iniqua est iudicia tua. Quid enim iniquum
fecit homo iste. quid enim mali commisit. perturbata est omnis civitas. simul
omnes perimus. ne perdas cesaris civitatem. Concede nobis hominem istum.
redde nobis hominem sanctum. ne interficias hominem deo carum. ne
perdas hominem mansuetum et pium. Biduo enim suspensus vixit.
non cessans que bona sunt loqui. et nos suis refecit eloquiis. Redde nobis
hunc sanctum ut vivamus. solve pudicum. et omnis patria erit in pace.
Dimitte hominem sapientem. et omnis achaia viam eius sequetur. Egeas
vero proconsul differens. audire eos nolebat. Commota itaque turba per con
sulem interficere cogitabat. Metuente vero proconsule nequid mali pa
teretur. exurgens de tribunali pergebat cum cum eis. ut dimitteret
sanctum andream. Leto itaque populo quod famulus dei dimitteretur. ege
as pervenit ad locum. Et cum vidisset andreas egeam dixit. Quid ad
nos egea venisti. numquid solvere me venisti. Non mihi suades famulo dei.
Ego gratias ago deo meo qui me tandem traditum tuis manibus esse cog
novi. ut per bonam confessionem perpetuam consequar vitam. et dilectus
amator eius efficiar. ut a te alienus factus cum deo meo sim in perpetuum.
ut cum eo habitem et recipiam promissiones eius. Proconsul autem hec audiens.
stabat stupefactus. ut quemadmodum se consolaretur ipse nesciret. Pro
clamante vero turba ac dicente dimitte hominem sanctum. solve ho
minem pudicum et iustum. appropinquans ad crucem. voluit eum
solvere et deponere. Sanctus autem andreas apostolus exclamavit voce
magna et dixit. Ne permittas famulum tuum domine ihesu christe qui pro
nomine tuo pendet in ligno solvi. ne permittas secretis tuis

Aut forte penitentia ductus credere desideras.